

praefata liberaliter et voluntarie nobis resignaverint, ob affectum sincerum, quem ad ecclesiam et viros devotos ac religiosos sancti Thomae apostoli in Lipzk gerimus et habemus, praetacta et praefata ligna cum fundo lignorum et cum omni utilitate ac libertate appropriavimus et appropriamus ecclesiae sancti Thomae et conventui in Lipzk saepedicto mero iure proprietatis perpetuo possidenda. Cuius donationis et collationis liberaliter per nos factae testes sunt Heyso de Scapowe et Vhricus de Zweme milites, Cunradus notarius et Fridericus marscalcus curiae nostrae, Symon sculthetus, Tilmannus cellerarius cives in Lipzk et quam plures alii fide digni. In huius rei testimonium atque robur dedimus praesens scriptum sigillo nostro et sigillo capituli nostri communitum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo quinto Idus Octobris.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Siegel des Bischofs an Fäden von grüner und dem des Domcapitels an Fäden von rother Seide.

No. 51. 1300. 29. Nov.

*Conrad von Kötschau (Cotchowe) beurkundet, wie er trotz früherer Weigerung in Folge stattgehabter Verhandlung mit dem Probeste auf zwei Mark Einkünfte in Lausen, welche sein verstorbener Bruder Heinrich dem gleichfalls verstorbenen Markgrafen Friedrich während seiner Abwesenheit vordem aufgelassen, zu Gunsten des Klosters in die Hände des Bischofs von Merseburg Verzicht geleistet habe.*

In nomine domini amen. Cum mens nostra nihil capiat nisi deleat illud actas, est mentis scriptura fidele sigillum. Eapropter ego Conradus de Cotchowe praesentis scripturae testimonio recognosco, quod cum dilectus frater meus Henricus duas marcas reddituum, quas Johannes cognomento Auriga civis in Lypzk et uxor eius Mechtildis a nobis in villa Lusen<sup>a)</sup> habebant, ad preces eiusdem Johannis et uxoris suae praenominatae ad manus illustris principis et domini nostri Friderici marchionis filii quondam illustris principis Th. de Landesberch me in terra non existente libere et voluntarie, ut praeposito ecclesiae sancti Thomae et conventui eiusdem donari et appropriari deberent, resignasset idemque illustris princeps et dominus noster Fridericus praefatus votum et desiderium praedicti Johannis effectui mancipasset donando et appropriando duas marcas praedictas reddituum ecclesiae memoratae, ego tandem mortuo iam dicto domino nostro Friderico illustri principe, fratre nihilominus meo Heynrico praelibato defuncto, pio eiusdem fratris mei facto, quod me ratum habiturum coram eodem illustri principe promiserat, frivole contradicens asserui, nuncquam me duas marcas praedictas resignaturum, nisi per praepositum dictae ecclesiae et conventum suum ad resignandum muneribus aut precibus inclinarem. Praepositus ergo et procuratores ecclesiae in ambitu suo mecum postea pluribus civibus Lypzensibus praesentibus convenerunt et adeo mecum tractaverunt, quod post multas preces dederunt mihi quatuor marcas argenti, ut gratum et ratum fratris me factum haberem et ipsis coram reverendo domino H. episcopo Merseburgensi dicto

a) Lausen. Par. Markranstädt.